



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 42. Alia Ordinis Ecclesiastici propositio circa Concilii Tridentini promulgationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII.
A. C. 1614.

§. XLII.

*Alia Ordinis Ecclesiastici propositio
circa Concilii Tridentini pro-
mulgationem.*

*Catmet Hist.
Univers.
lib. 151.*

Interim die septima Novembris Clerus a Rege petebat, ut Tridentina Synodus publice promulgaretur in Galliis, addita tamen hac clausula: *sine præjudicio Coronæ Regiæ, libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, privilegiorum & exemptionum, si quæ Capitulis, aut Monasteriis concessa, quibus conservandis studebit impensius Clerus, habitis in id rei ad Summum Pontificem precibus: quæ privilegia interim salva erunt, non obstante promulgatione Concilii.*

Hanc in rem non minus docte quam eleganter differebat Perronius Cardinalis, declarans, ea, quæ ad fidem spectant, jam alias esse recepta, a decretis vero circa disciplinam & reformationem per præfatam clausulam omne auferri præjudicium. Nihilominus vehementer obstabant Plebæi, asserentes, hanc Cleri propositionem esse valde periculofam, proin, eo ex capite, quod nova & in prioribus comitiis in usum non deducta sit, rejiciendam esse, aliunde vero ob Calvinii sectam in Regno toleratam novum exin schisma pertimescendum, si Rex Synodi promulgationi

tioni annueret. Albaspina vero Fran-
 ciæ Thesaurarius addebat, quod Per-
 ronius pridie in conventu declararit,
 Henricum IV. Regem a Papa censuris
 fuisse solutum, eꝛ lege, ut præfatam
 Synodum promulgaret, attento autem
 Catholicos inter & Hugonottas dissidii
 periculo Regem eidem Perronio injun-
 xisse, ut hanc conditionem relaxari,
 Pontifici supplicaret. Denique Rex
 æque ac Regina hanc Cleri petitionem
 minime gratam habebant, & Clerus
 suam agendi rationem vindicare jube-
 batur: nec tamen propterea Ecclesiasti-
 corum constantia infrangebatur, sed de-
 nuo Synodum cum præfata clausula
 in Regno recipi a Rege petebant, ad-
 dentes, quod Pontifex rogaretur, qua-
 tenus coronæ privilegia & libertates
 Gallis fartas servare velit: Ad hæc
 verba velut ad classicum, tertius Ordo
 seu Plebæi uno ore exclamabant, Re-
 gis auctoritatem lædi, hæc jura non a
 Papa dependere, nec ea esse gratias
 Regi ab eo concessas. Insuper Miro-
 nus & Savaronus adversus Concilii pro-
 mulgationem nomine tertii Ordinis tam
 acriter declamabant, ut circa hoc ca-
 put Clerus & Nobilium Ordo populi
 rerum ignari violentiæ atque importu-
 nitati cedere cogerentur. „Attamen,
 „ut ait Gramondus, piorum judicio ni-

Sæc. XVII.

A. C. 1614.

T 5

„hit

Sæc. XVII. „hil obfuiſſet, promulgare & ſequi rem
 A. C. 1614. „Sacram: ſub addita enim clauſula man-
 „ſiſſent privilegia Galliæ, imbuebamur
 „Concilio Oecumenici doctrina puriſſima,
 „& ſi quid irrepſerat contra politicas
 „leges, aut privilegia Regni, explicari
 „fas erat, aut mutari, prout propone-
 „batur: non hæc Concilio, quod vo-
 „cant, eſſentialia, non hæc de fide:
 „parerga erant, citra neceſſitatem ad-
 „jecta, quæ nihil vetuit leniri, aut tol-
 „li penitus: quæ contra objiciebantur,
 „vana erant.

§. XLIII.

*Acrior contentio circa Pontificis Po-
teſtatem in Reges Franciæ.*

Gram. l. c. *Calmet l. 151.* *Serran.* *Franc. Hiſt.* **R**urſus quæſtio de ſummi Pontificis
 in Reges poteſtate ultro citroque
 cum ingenti animorum contentione
 agitabatur: Decernebantur perſæpe
 Cleri Oratores ad tertium Ordinem &
 a tertio Ordine ad Clerum: ſæpe etiam
 Aquenſis Archiepiſcopus, necnon Fe-
 nolietus Antiſtes Montpeſſulanus in ſuis
 ſermonibus querebantur, quod Plebæi
 Theologicarum rerum ignari improbe
 manum in meſſem alienam mittere præ-
 ſumerent, *non poteſt*, inquebant illi,
populus ſuam propoſitionem, qua ſummo
Pontifici hanc poteſtatem denegant, pro ar-
ticulo